



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilium Coyacense Pro Reformandis Moribus Ecclesiae in dioecesi  
Ouetensi aera MLXXXVIII. id est anno Christi ML. celebratum sub  
Ferdinando rege primo Castellae, qui cognominatus est Magnus, tempore

...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

## CONCILIVM COYACENSE

ANNO  
CHRISTI  
1050.

PRO REFORMANDIS MORIBVS ECCLESIAE  
in diœcesi Ouetenſi æra MLXXXVIII. id eſt anno  
Chriſti ML. celebratum ſub Ferdinando rege primo  
Caſtellæ, qui cognominatus eſt Magnus, tempore Leo-  
nis papæ IX.

## TITVLI CAPITVLORVM.

- |  |   |
|--|---|
| I. <i>Vt epiſcopi &amp; clerici munus ſuum rite obeant.</i>  | VII. <i>Vt populus a potentibus cum iuſtitia regatur.</i>                 |
| II. <i>Vt abbates &amp; monachi ſuis obediant epiſcopis.</i>   | VIII. <i>De legibus quibusdam Alphonſi &amp; Sanci regum obſeruandis.</i> |
| III. <i>De iure eccleſiarum, &amp; veſtibus clericorum.</i>  | IX. <i>Quod eccleſiaſtica veritates triennio non includantur.</i>         |
| IV. <i>De pœnitentia adulteris, inceſtis, &amp;c. imponenda.</i>   | X. <i>De eo qui contentioſum fundum coluerit.</i>                         |
| V. <i>De ordinandis: &amp; ne preſbyteri ad nuptias edendi gratia eant: &amp; de illis qui defunctorum conuiuiis aſiſtunt.</i> | XI. <i>Vt omnes die Veneris ieiunium obſeruent.</i>                       |
| VI. <i>Vt veſpere ſabbati omnes ab opere ceſſent: &amp; cum Iudæis non ha-</i>   | XII. <i>De aſyli iure eccleſiis conſeſſo.</i>                             |
|  | XIII. <i>De iure regis.</i>   |

DECRETA FERDINANDI REGIS, ET SANCIAE  
reginae, & omnium epiſcoporum in diebus eorum in Hiſpania degentium, & omnium eiusdem regni optimatum, æra  
MLXXXVIII.

## PRÆFATIO.

**I**N nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ego Ferdinandus rex, & Sancia regina, ad reſtaurationem noſtræ Chriſtianitatis fecimus Concilium in caſtro Coyaca, in diœceſi ſcilicet Ouetenſi, cum epiſcopis, & abbatibus, & totius regni noſtri optimatibus. In quo Concilio præſentes extitere Froilanus epiſcopus Ouetenſis, Cyprianus Legionenſis, Didacus Aſturicenſis, Syrus Palentinæ ſedis, Gomes Viſocenſis, Gomezius Calaguritanenſis, Ioannes Pampilonenſis, Petrus Lucenſis, Creſconius Irienſis.

CAPITVLA.

I.

In primo igitur titulo statuimus, vt vnusquisque episcopus ecclesiarum ministerium cum suis clericis ordinate teneat in suis sedibus.

II.

In secundo titulo, vt omnes abbates se & fratres suos, & monasteria, & abbatissæ se & monasteria suas, & monasteria, secundum beati Benedicti regant statuta, & ipsi abbates & abbatissæ cum suis congregationibus & cœnobiis sint obedientes, & per omnia subditi suis episcopis. Nullus eorum recipiat monachum alienum, aut sanctimoniale, nisi per abbatis sui & abbatissæ iussionem. Si quis hoc decretum violare præsumperit, anathema sit.

III.

Tertio autem titulo statuimus, vt omnes ecclesiæ & clerici sint sub iure sui episcopi; nec potestatem aliquam habeant super ecclesias aut clericos laici. Ecclesiæ autem sint integræ, & non diuisæ, cum presbyteris & diaconis, & cum totius anni circuli libris, cum ornamentis ecclesiasticis; ita vt non sacrificent cum calice ligneo, vel fictili. Vestes autem presbyteri sint in sacrificio amictus, alba, cingulum, stola, casula, manipulus. Vestes diaconi, amictus, alba, cingulum, stola, dalmatica, manipulus. Altaris vero ara tota sit lapidea, & ab episcopis consecrata. Hostia sit ex frumento sana & integra. Vinum sit mundum, & aqua munda, ita vt inter vinum, hostiam, & aquam Trinitas

fit significata. Altare sit honeste indutum, & desuper lineum indumentum mundum. Subtus calicem, & desuper corporale lineum mundum & integrum.

ANNO  
CHRISTI  
1090.

Presbyteri vero & diacones, qui ministerio funguntur ecclesiæ, arma belli non deferant, semper coronas apertas habeant, barbas radant, mulieres secum in domo non habeant, nisi matrem & fororem, aut amitam, aut nouercam. Vestimentum vnius coloris, & competens habeant. Intra etiam \* dextros ecclesiæ laici vxorati non habitent, nec iura possideant. Doceant autem clerici filios ecclesiæ, & infantes, vt symbolum & orationem dominicam memoriter teneant. Si quis autem laicus huius nostræ institutionis violator extiterit, anathema sit: presbyter vero & diaconus, si huius iussionis destructor extiterit, sexaginta solidos episcopo persoluat, & gradu ecclesiastico careat.

## I V.

Quarto vero titulo statuimus, vt archidiaconi & presbyteri, sicut sacri Canones præcipiunt, vocent ad pœnitentiam adulteros, incestuosos, sanguine mixtos, fures, homicidas, maleficos, & qui cum animalibus se inquinant; & si pœnitere noluerint, separentur ab ecclesia & a communione.

## V.

Quinto autem titulo decreuimus, vt archidiaconi tales clericos constitutis quatuor temporibus ad ordines ducant, qui perfecte totum psalterium, hymnos, & cantica, epistolas, euangelia, & orationes

ANNO  
CHRISTI  
1050.

tiones sciant. Presbyteri ad nuptias causa edendi non eant, nisi ad benedicendum. Clerici & laici, qui ad conuiuia defunctorum venerint, sic panem defuncti comedant, vt aliquid boni pro eius anima faciant, ad quæ tamen conuiuia uocentur pauperes & debiles pro anima defuncti.

V I.

Sexto uero titulo admonemus, vt omnes Christiani die sabbati aduersperascente ad ecclesiam concurrant, & dominica Matutina, Missas, & omnes horas audiant, opus seruile non exerceant, nec sectentur itinera, nisi orationis causa, aut sepeliendi mortuos, aut uisitandi infirmos, aut pro regis secreto, pro Saracenorum impetu.

Nullus etiam Christianus cum Iudæis in vna domo maneat, nec cum eis cibum sumat. Si quis autem hanc nostram constitutionem fregerit, per septem dies pœnitentiam agat. Quod si pœnitere noluerit, si maior persona fuerit, per annum integrum communione careat; si inferior persona fuerit, centum flagella accipiat.

V I I.

Septimo quoque titulo admonemus, vt omnes, comites, seu maiorini regales populum sibi subditum per iustitiam regant, pauperes iniuste non opprimant, in iudicio testimonium, nisi illorum præsentium, qui uiderunt aut audierunt, non accipiant. Quod si testes falsi conuicti fuerint, illud supplicium accipiant, quod in libro iudicum de falsis testibus est constitutum.

Octauo autem titulo mandamus, vt in Legionē, & in suis terminis, in Gallæcia, & in Asturiis, & in Portugale, tale sit iudicium semper, quale est constitutum in decretis Adefonsi regis pro homicidio, pro raso, pro faione, aut pro omnibus calumniis suis. Tale vero iudicium sit in Castella, quale fuit in diebus aui nostri Sancii ducis.

## IX.

Nono quoque titulo præcipimus, vt triennium non includat ecclesiasticas veritates, sed vnaquæque ecclesia (sicut Canones præcipiunt, & sicut lex Gothica mandat) omni tempore suas veritates recuperet & possideat.

## X.

Decimo vero titulo decreuimus, vt ille qui laborauit vineas aut terras in contentione positas, colligat fruges, & postea habeant iudicium super radicem, & si victus fuerit laborator, reddat fruges domino hereditatis.

## XI.

Vndecimo autem titulo mandamus vt Christiani per omnes sextas ferias ieiunent, & hora congrua cibo reficiantur, & faciant labores suos.

## XII.

Duodecimo quoque titulo præcipimus, vt si quilibet homo pro qualicumque culpa ad ecclesiam confugerit, non sit ausus aliquis eum inde

ANNO  
CHRISTI  
1050.

violenter abstrahere, nec persequi infra dextros ecclesiæ, qui sunt triginta passus, sed sublato mortis periculo, & corporis deturbatione, faciat quod lex Gothica iubet. Qui aliter fecerit, anathema sit, & soluat episcopo mille solidos purissimi argenti.

XIII.

Tertiodecimo titulo mandamus, vt omnes maiores & minores veritatem & iustitiam regis non contemnant, sed, sicut in diebus domini Adefonsi regis, fideles & recti persistant, & talem veritatem faciant regi, qualem illi fecerunt in diebus suis. Castellani autem in castella talem veritatem faciant regi, qualem fecerunt Sancio duci. Rex vero talem veritatem faciat eis, qualem fecit præfatus comes Sancius. Et confirmo totos illos foros cunctis habitantibus Legionem, quos dedit illis rex dominus Adefonsus, pater Sanciae reginae uxoris meae. Qui igitur hanc nostram constitutionem fregerit, rex, comes, vicecomes, maiorinus, fago, tam ecclesiasticus, quam sæcularis ordo, excommunicatus, & a consortio sanctorum segregatus, & perpetua damnatione cum diabolo & angelis eius damnatus, & dignitate sua temporalis sit priuatus.